

dum moveri, sed Angelus ex se, et ab intrinseco est peccabilis, si ponatur in eo ordo ad supernaturalia; est autem indefectibilis si talis ordo non detur, et alias operetur juxta suum modum connaturalem, ut diximus. Et quando dicitur quod modo peccant, etiam ex motivo mere naturali, ut quia cruciantur, et non solum quia amiserunt beatitudinem, dicimus quod non possunt ex illo motivo naturali peccare, nisi prout supponit, et oritur ex alio priori motivo, quo ipsi noluerunt subjici regulæ supernaturali, seu ordinari per eam, sed ea relicta converti ad propriam excellentiam, qua deordinatione supposita, etiam in lege naturali deordinati sunt, et potuerunt contra illam peccare, ut diximus; sed incipiendo semper, et utendo illa prima abusione, et non subjectione ad regulam supernaturalem ut motivo, quia superbia est præcipuum motivum eorum, quod virtualiter operatur, et manet in aliis particularibus motivis, quia Angeli semper operantur incipiendo ab universalibus principiis, et a fine: præterquam quod cruciatus quem nunc habent, ordinem, et connexionem habet cum fine supernaturali, sicut et privatio beatitudinis, quia utrumque ex peccato contra legem supernaturalem emanavit. Et similiter invidentia de bonis Angelis est ex eo quod vident illos excellentissimis donis supernaturalibus cumulatatos, quibus ipsi carent, quod totum ordinem dicit ad supernaturalia; et sic dicit D. Thomas supra quæst. LX, art. IV ad III, quod: «Oderunt bonos Angelos in quantum diversificantur penes justitiam, et injustitiam.» Et art. V ad V dicit quod: «Odio habent Deum in quantum facit in eis particulares effectus, qui eorum voluntati contrariantur.» Quare non est necesse quod demones moveantur semper ex lege su-

pernaturali, sed sufficit quod contra eam, vel ex aliquo dicente ordinem ad illam, vel supponente illam ut dictum est.

XXXIII. Ad id quod dicitur de motivis ad peccandum, quod potuerunt dari in statu puræ naturæ, licet non tot, sicut in statu damnationis, dicimus non regulari impeccabilitatem Angeli in illo statu penes paucitatem, vel pluralitatem motivorum, sed propter modum tunc operandi, ex quo non dabatur locus formandi dictamen defectuosum quamdiu operabatur connaturali modo suo, id est, procedendo comprehensive, et tam immobiliter in principiis quam in conclusionibus, in fine quam in mediis, ut amplius infra disp. XXIV, art. I dicitur: sic enim cum non proponerentur illi nisi finis naturalis ad quem ex natura sua determinatus, et immobilitatus est, et sub illo continebantur ea quæ poterat pro fine ultimo perverse habere, scilicet excellentia propria, necesse erat sibi proponi alium finem cui ea non subiceret, ut posset ab alicujus finis aversione incipiendo operari defectuose, et ex his quæ sub fine naturali continebantur finem sibi ultimum constituere. Et cum instatur, quod non repugnat etiam in statu naturali dari defectum aliquem considerationis, ratione cujus possit proponi ut conveniens bonum delectabile, seu proprium bonum, relicto bono honesto, respondetur non repugnare defectu considerationis, et quod bonum proprium anteponatur, dummodo iste defectus considerationis detur incipiendo ab aliquo fine a quo se avertat, vel quem sequatur, quia proprius, et connaturalis modus operandi in Angelo est incipiendo a fine, sicut in intellectu incipiendo a principiis, eo quod intellectualis naturæ est perfectæ, et comprehensivæ in suo modo proce-

dere; et sic semper incipit a principiis. Cum autem in statu naturali solum ponantur principia naturalia et finis naturalis sub quo omnia bona continentur, et ex amore talis finis Angelus incipiat, in eoque omnia quæ sub illo ordinantur, attingat, quia comprehensive procedit, et unica immobili attingentia, tam circa principia, quam circa conclusiones, fines, et media, inde fit, quod non possit omittere considerationem finis, et incipere ab aliquo bono contento sub tali fine, et illum sibi ut finem proponere, quia hoc esset invertere modum connaturalem procedendi, quod stare non potest, nisi aliquem defectum supponendo, ratione cujus id quod non est finis, accipiatur ut finis, quod esse non potest, nisi avertendo se ab aliquo fine, seu non subjiciendo se alteri fini, quam naturali, quia huic naturaliter adhæret, et non potest ab ipsius aversione incipere, cum sit necessitatus quoad specificationem ad ipsum. Itaque Angelus potest defectum considerationis pati, sed semper servando modum suum, qui est incipiendo ab aliquo fine, vel per conversionem, vel per aversionem: unde si a fine naturali avertitur, est ex altero fine a quo incipit, et ille non potest esse naturalis ipse finis, quia bonus est, nec aliquid contentum sub isto fine naturali, quia hoc non potest accipi ut finis invertendo connaturalem ordinem, nisi ex non subjectione ad alium finem cui deberet subjici, quod non stat nisi respectu finis supernaturalis: nam respectu naturalis per se subjicitur.

XXXIV. Ad ultimum dicitur, Angelum peccantem contra finem supernaturalem etiam violare legem naturalem, et illius malitiæ reum esse: hinc tamen non sumitur argumentum quod possit Angelus violare eandem legem naturalem stan-

do in mero statu naturali, sed ex motivo, et ordine aliquo ad supernaturalia, a quibus si avertitur, etiam ex consequenti averti potest a fine naturali, ut dictum est; et sic determinatus est ad finem naturalem quamdiu non ponitur alius finis ex cujus aversione possit etiam contra finem naturalem agere: si autem ponatur talis finis, cui Angelus naturaliter non sit subjectus, potest se ab illo avertere, et ex consequenti a fine naturali ut explicatum est.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti?

I. De facto Angelos non peccasse in primo instanti suæ creationis ita ut cum ipsa creatione sui esse nascerentur mali, omnino certum est, et oppositum judicatur ut erroneum, non solum si dicatur Angelum esse naturaliter malum, id est, ex natura sua, et non ex libero arbitrio, ita quod natura dæmonis mala fuerit, et a malo Deo creata, quæ est hæresis Manichæorum; sed etiam ponendo quod Angelus libero suo arbitrio fuerit malus in primo instanti, ita quod nunquam fuerit bonus: hoc enim etiam Scripturæ contrariatur, quæ docet dæmonem aliquando fuisse bonum, ut Ezechielis XXVIII, ubi dicitur de primo Angelo qui vocatur Cherub protegens: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: et Joan. VIII dicitur de diabolo, quod: *In veritate non stetit*: ergo supponitur aliquando in veritate fuisse. Et in canonica Judæ dicitur: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei sub caligine reservavit*. Ergo habue-

runt aliquando principatum quem perdiderunt, non in natura, quia hæc integra mansit: ergo in gratia. Unde S. Leo papa epist. xliii, c. vi ait quod: « Diabolus bonus esset si in eo quod factus est permaneret. » Et ita in Concilio Bracarense primo, inter capitula quibus Priscialliana hæresis damnatur, septimum capitulum sic habet: « Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum Angelum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, etc. anathema sit: » ubi ly prius significat durationem temporis, seu instans aliquod durationis, in quo diabolus bonus Angelus fuit. Quod etiam intendere videtur Concilium Lateranense in c. Firmiter de summa Trinitate, ubi prius docet angelicam creaturam, sicut et humanam ab initio temporis conditam esse a Deo, et mox subdit: « Diabolus enim, et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni (utique in illo initio temporis, de quo dixerat) sed ipsi per se facti sunt mali. » In aliquo ergo instanti fuerunt boni, scilicet cum creati sunt. Quare D. Thomas ubique docet hanc opinionem de peccato Angeli quod contigerit in primo instanti suæ creationis reputatam fuisse tamquam erroneam a magistris, idque rationabiliter, ut patet in hac quæstione lxiii, art. v et in ii, dist. iii, q. i, art. i et q. xvi de malo, art. iv.

II. Difficultas ergo est, utrum in illo primo instanti peccare potuerint, licet de facto non peccaverint. Quod si non potuerunt, unde proveniat ista impeccabilitas pro illo primo instanti. Et supponimus Angelum habuisse in illo primo instanti elevationem ad supernaturalia, ne dicamus deesse illi ex hac parte conditionem requisitam ad peccandum contra legem supernaturalem, dato quod non possit contra solam legem naturalem: sed præcise est

difficultas, an ratione illius durationis, scilicet primi instantis, seu primi actus quem elicit Angelus detur specialis repugnantia ad peccandum in Angelo. Et idem est primum instans, ac primus actus, quem Angelus habuit in primo instanti quo creatus est, quia creatus est ut actu operans, et intelligens, quia natura perfecta, et non impedita, in ipso primo instanti quo perfecte producit, et habet esse, simul operatur.

VARIÆ SENTENTIÆ.

Duplex est principalis sententia in hac parte.

III. Prima docet potuisse Angelum in primo instanti, seu in primo actu peccare. Hæc est Scoti in ii, dist. v, q. ii, quem alii ex antiquis sequuntur, ut Major, Gabriel, Palacios, etc. Ex recentioribus eandem sententiam sequuntur Molina i p. q. lxiii, art. v; Valentia ibi q. iv, puncto iv; Vasquez hic disp. cccxxvi, c. iii, et ex parte Suarez, ut statim dicemus, Alarcon tract. vi de Angelis, disp. v, c. iii et alii.

Secunda sententia extreme contraria affirmat in Angelis non potuisse dari peccatum in primo instanti, seu in primo actu, licet ex diversis fundamentis diversi procedant. Hæc est expressa sententia S. Thomæ in hac quæstione lxiii, art. v et aliis locis supra citatis ex quæstione xvi de malo et in secundo sententiarum. Eum sequuntur omnes ejus discipuli in hoc loco primæ partis, ubi videri potest Cajetanus, Bagnez, Nazarius, Zumel, Carmelitani Salmanticenses disp. xi, dubio unico; Capreolus in ii, dist. iv, q. i, art. i, concl. iv; Ferrariensis iii contra gent. c. cix, §. Sed circa prædicta; Arrubal disp. clxxix, c. ii et iv; Grana-dos tract. xiii, disp. iv. Denique,

communem esse sententiam fatetur Suarez citandus, et plures affert Vasquez citatus. Fuit etiam multorum antiquorum sententia Alberti, Richardi, Argentinae, Holcoth, Adam, Henrici, quos citant Carmelitani loco dicto. Eam etiam sequitur Hugo de S. Victore in summa tr. ii, c. ii attribuiturque etiam D. Ansel.

Inter has sententias mediam viam voluit p. Suarez conciliare. Et primo supponit potuisse Angelum in puris naturalibus peccare in primo instanti contra legem naturalem, ut docet lib. iii de Angelis c. ix, a numero iii. Deinde addit lib. vii, c. xx, in xlvi et sequenti regulariter, et secundum ordinariam providentiam Dei non potuisse Angelum peccare in illo instanti contra legem supernaturalem. Et in summa hoc quod est non peccasse Angelum reducit ad manutentiam Dei specialem, quæ tamen non erat debita Angelo absolute, et simpliciter. Et sic docet quod de potentia, absoluta, et non secundum leges ordinarias potuit Angelus peccare in primo instanti; qua distinctione videtur sibi conciliasse sententiam D. Thomæ et Scoti.

ELIGITUR SENTENTIA D. THOMÆ, OSTENDITUR AUCTORUM INEFFICACES ESSE RATIONES.

Communis igitur sententia a nobis tenenda est, quæ est expressa D. Thomæ scilicet implicare quod prima operatio Angeli, et primus actus ejus, ante quem nullus præcessit, sit peccatum. Hæc conclusio non eodem modo probatur ab auctoribus qui eam tenent. Unde oportet prius videre eorum fundamenta ut ad veram, et efficacem D. Thomæ rationem accedamus.

IV. Primo igitur non est habendum pro sufficienti fundamento, quod ideo Angeli non potuerunt

peccare contra finem supernaturalem in primo instanti, quia tunc gratiam acceperunt, et justificati sunt, repugnat autem simul in eodem instanti esse gratiam, et peccatum, esse voluntatem conversam, et aversam a Deo, præsertim cum Angeli per propriam dispositionem justificati sint; et sic non solum habitualement gratiam habuerunt, sed etiam actualement motum conversionis in Deum, cum quo non compatitur actualis motus aversionis a Deo. Cæterum fundamentum hoc non est sufficiens: solum enim ostendit Angelos non potuisse peccare in primo instanti ex suppositione quod in illo instanti acceperunt gratiam. Potuerunt tamen gratiam tunc non accipere, et creari in pura natura, et in ordine ad finem naturalem contra quem in aliquorum sententia peccare potuerunt, ut articulo præcedenti vidimus. Potuerunt etiam creari cum ordine ad finem supernaturalem, et cum cognitione illius per fidem, sed sine gratia pro illo primo instanti, danda tamen pro alio instanti si se disponent in primo, in hoc enim nulla apparet repugnantia, cum ex libera Dei dispositione largitio sanctificantis gratiæ dependeat. Unde potuerunt habere tunc sufficientem rationem, et omnia requisita ut peccarent operando contra legem supernaturalem quam cognoscebant per fidem, et poterant nolle illi subijci per libertatem, quia nondum tunc reciperent gratiam efficacem. Quare illud fundamentum non procedit absolute, sed ex suppositione quod in primo instanti Angeli sanctificarentur: sic enim non possent simul peccare.

V. Secundo, alii procedunt ex alio fundamento, quia existimant primam operationem Angeli non esse liberam, sicque non esse capacem peccati, sed neque meriti. Fun-

dantur, vel quia prima operatio non procedit ex deliberatione, cum sit prima omnium, et non præsupponat aliam per quam se moveat deliberando : ergo est indeliberata : ergo non libera : vel quia existimant in instanti temporis non posse aliquem elicere liberam operationem, nisi tempore antecedenti potuerit se detinere, ne in illo instanti eliceret. Et ratio eorum est, quia in eodem instanti non est potens libertas operari et non operari, hoc enim contradictionem involvit; ad libertatem autem requiritur, quod aliquis sit potens operari tunc quando non operatur, et e contra. Ergo potentia libertatis expedita non potest regulari unico instanti, sed debet constare majori duratione quam instantanea, quia in uno instanti non potest operari, et non operari; potest autem utrumque pro diversis instantibus. Cum ergo Angelus in primo instanti incœperit durationem suam, non præcessit ante aliquod instans, vel duratio, ratione cujus posset utrumque, scilicet operari, et non operari. In illo ergo instanti nondum poterat libertas ejus exerceri. Sunt qui Cajetano attribuant sensisse in hac quæstione LXIII, art. v, quod Angelus non potuerit peccare in primo instanti, quia ejus operatio erat necessaria. Sed Cajetanus expresse loquitur de necessario quoad specificationem, non quoad exercitium, ut patet in eodem articulo, §. Ad hæc breviter : ibi enim exponit, et sequitur S. Thomam qui ibi solutione ad tertium dicit, quod Angelus in primo instanti suæ creationis potuit mereri quod sine libertate actus, saltem quoad exercitium stare non potest.

VI. Unde fundamentum hoc e diametro pugnat cum D. Thoma, quia absolute docet Angelum in primo instanti posse eligere actu liberi arbitrii, ut patet in quæstione XVI de

malo, art. IV. Et iterum specialiter in primo instanti Angelorum cognoscit meritum in hac quæstione LXIII, art. v ad III : ergo et libertatem, quia mereri sine libero actu, contradictio est : necessaria enim laudem non merentur, nec præmium : ergo non habent meritum; et iterum D. Thomas III p. q. xxxiv, art. III expresse inquit, et determinat quod Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis habuerit actum meritorium liberi arbitrii, eo quod in primo instanti habuerit gratiam, quia a primo instanti fuit plenus gratiæ, et veritatis, et caput omnium, quod solum per gratiam esse potuit. Non potest autem dici quod istam gratiam, et istud genus sanctificationis accidentaliter habuerit Christus imperfecto modo, sicut sanctificantur parvuli, sed perfecto, sicut adulti, id est, concurrente propria dispositione. Dispositio autem fit per actum liberum conversionis in Deum : ergo si in primo instanti est capax voluntas hujus sanctificationis per gratiam, ad modum adultorum, etiam est capax actus liberi, et meritorii. Denique, Christus in primo instanti fuit beatus, et comprehensor, alias non habuisset gratiam perfectam, et plenam, nec esset plenus veritate a primo instanti, si tunc non videt Deum, sed inconveniens est dicere quod aliquis in aliquo instanti sit capax præmii, et summæ perfectionis in intellectu, et voluntate, qualis est visio, et amor Dei in se, et non sit capax meriti, qui est amor Dei imperfectior, quam in patria, præsertim cum amor Dei ex visione beata ortus, sicut fertur in Deum necessario, ita in creaturas, quas propter Deum amat libere : ergo in primo instanti potest esse meritum, et actus liber. Unde cum Angeli in primo instanti suæ creationis gratiam acceperint, non imperfecto modo, sicut parvuli, sed

perfecto, sicut adulti, fuerunt capaces actus liberi, quo disponent se ad gratiam in illo primo instanti.

Et ratio hujus a priori est, quia Angelus cum sit perfectæ naturæ intellectualis, potest in primo instanti perfecte, et comprehensive intelligere, quia nullum est impedimentum quominus natura perfecta possit perfecte operari hoc ipso quod habet perfectum esse, quia operari sequitur esse : sed perfecta, et comprehensive operatio intellectualis intelligit objectum cum universalitate, et indifferentia : ergo regulativum actus liberi, quia ex propositione indifferenti judicii, sequitur operatio cum indifferentia in voluntate : ergo si in primo instanti est capax judicii indifferentis, et perfecti, etiam est capax operationis liberæ et perfectæ, quæ ex tali judicio oritur.

Unde solvuntur instantiæ allatæ pro ista parte.

VII. Ad primam enim dicimus, quod aliud est actionem esse deliberatam, et aliud liberam, sumendo deliberatam actionem proprie, et in rigore pro operatione illa quæ procedit ex illa priori, a qua aliquis se movet : sic enim actio deliberata versatur circa media, atque se movet aliquis ex fine præconcepto. Ad ipsum autem finem non se movet ex deliberatione, seu ex aliquo actu priori, et ideo reducitur motio prima voluntatis, et intellectus in Deum. Cæterum ut actio sit libera, sufficit quod feratur in objectum cum indifferentia; et si non quoad specificationem, et ex parte objecti, saltem quoad exercitium, et ex parte actus, quia potest elicere hunc actum, vel illum; et sic ipsamet elicientia actus proponitur cum indifferentia, ideoque regulatur per talem propositionem libertas quoad

exercitium. Quare non repugnat quod primus actus sit liber quoad exercitium, si procedit cum perfecto judicio, licet non sit deliberatus, id est, ex alio priori actu procedens; est tamen principium deliberationis, quatenus est principium alterius actus. Nec dicitur actio indeliberata, si ly indeliberata sumatur privative, et cum imperfectione pro actu non habente indifferentiam, sed potest dici indeliberatus negative, quatenus non est ex alio actu priori : in Angelo tamen potest aliquo modo dici ille actus primus virtualiter deliberatus quatenus eodem actu fertur in finem, et in media. Sed quia fertur ex motione Dei, et non ex motione sui, quia non supponit priorem actum, quo se moveat, ideo simpliciter, et formaliter non dicitur deliberate procedere, licet libere in illo primo instanti.

VIII. Ad secundam dicitur ridiculum esse dicere quod voluntas quæ ex suo modo operandi perfecto instantanee operatur, indigeat tempore, ut libere operetur cum possit in instanti proponi sibi judicium indifferentis, et cum majori vel efficaciori propositione unius objecti quam alterius, unde voluntas manet expedita ut possit eligere, et ferri in tale objectum ex vi propositionis indifferentis. Unde dicimus, quod libertas non est ad operandum, vel non operandum simul in eodem instanti, et in sensu composito, sed disjunctive, et in sensu diviso, quia ad neutrum est determinata voluntas ex se; vel ex meritis objecti, et ex vi indifferentiæ judicii, sed potest eligere alterum quod voluerit ex propositis : et sic potest divisive operari, vel non operari, non conjunctim operari, et non operari. Et ad hoc sufficit quod sit potens ad utrumque potentia antecedenti, licet non possit utrumque simul po-

tentia consequenti, id est, cum effectu simul utrumque conjungendo. Et hoc modo etiam dum operatur in eodem instanti voluntas unum actum, potest oppositum potentia antecedenti, seu in sensu diviso, et quantum est ex se, licet non potentia consequente, et in sensu composito, seu ex suppositione, quod operatur. Et sic sufficit quod prius quam operaretur hunc actum prioritatem naturæ, potuit ad oppositum determinari, quantum est ex vi suæ indifferentiæ, licet ex suppositione quod operatur hunc actum jam non possit oppositum, nec ad hoc est ulla libertas, ut possit utrumque simul conjungere.

IX. Tertio probant alii impossibilitatem peccandi in Angelo in primo instanti ex eo quod non potuit in eo instanti proponi efficacius cogitatio boni delectabilis quam honesti: ergo non potuit pro illo instanti deviare a bono honesto, et sequi proprium. Consequentia probatur, quia peccatum non potest contingere, nisi ex aliquo defectu considerationis, quatenus de bono honesto, quod est debitum, et sequendum, non ita efficaciter considerat, sicut de bono contrario quod est fugiendum: ergo si iste defectus cogitationis non potest esse in Angelo in primo instanti, neque potest esse peccatum. Antecedens vero probatur, quia in primo instanti si Angelus format sibi cogitationem, debet formare eam in quam magis inclinatur ipsa natura, et cujus vivaciores, et fortiores habet species; magis autem inclinatur in bonum honestum quam in apparens, et fortiores species habet de illo, pluraque motiva, et efficaciora: ergo illa omnia fortius, et vehementius considerabit, quia tunc in primo instanti operatur ipsa inclinatione, et impetu naturæ, deinde tempore procedente libere poterit

divertere cogitationem, in primo vero actu non habet quo divertat, sed juxta naturæ inclinationem, et propositum operatur. Si vero a Deo immittatur tunc cogitatio, immittere debet efficacior, et vivacior quam petit ipsa natura Angeli secundum se, quod si non fecerit, instigabit ad malum, eritque causa peccati, quia postulante natura meliorem, et vivaciorem cogitationem, Deus minus efficacem immittit. Hæc est ratio Arrubalis loco supra citato, capite secundo, et ad eum modum trahit rationem, et fundamentum D. Thomæ in hoc articulo quinto propositum, potestque satis juvari ex his quæ tradit ipse s. doctor in II, dist. III, q. I, art. I, ubi docet quod: « Non potest esse peccatum circa verum bonum, sed circa verisimile seu apparens; non potest autem dari intellectus circa bonum verisimile, nisi præcedat intellectus veri boni, et ita in primo instanti petit intellectus ferri in objectum honestum, seu verum bonum ex natura sua, nec potest ante illud ferri in apparens, seu verosimile. » In cujus etiam signum s. doctor non negat absolute non posse liberum arbitrium absolute peccare in primo suæ creationis instanti, sed solum quando est in natura integra, ut patet in tertia parte, q. XXXIV, art. III ad primum, ubi inquit: « Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra. » Sentit ergo quod si non sit integra, potest moveri ad malum, quia videlicet in natura integra efficacius movetur circa bonum honestum; et ideo est debitum illi sic moveri circa illud, quod in natura non integra, seu corrupta, debitum non est.

X. Nihilominus hæc ratio Arrubalis, quæ aliquibus etiam placet,

non explicat plene efficaciam rationis D. Thomæ, sed assumit aliqua quæ omnino certa non sunt, et majori indigent probatione. Nam in primis non est certum quod ex duobus objectis inæqualiter propositis, et cum inæquali vivacitate, aut efficacia ex parte intellectus, non possit voluntas pro sua libertate inclinare in id quod minus efficaciter proponitur, relicto vivaciori. Hoc enim in opinione positum est, et fortasse est probabilius posse voluntatem in minus bonum, et minus bene propositum inclinare, meliori relicto, de quo agendum est 1-2, circa quæstionem XIII. Non potest ergo veritas hæc D. Thomæ fundari in re tam incerta. Deinde, quia licet conformiter ad illam procederet D. Thomas, tamen hoc solum probaret dare Deum collationem auxilii sufficientis pro illa parte, quæ vivacius proponitur, non tamen probat quod semper teneatur Deus dare auxilium efficax pro bono efficacius proposito. Unde enim ad hoc teneatur? Si quidem voluntas semper manet indifferens ad unum et ad alterum. Quare ergo tenetur ex vi naturalis exigentiæ dare concursus suum ad bonum honestum tantum, ita quod non possit Deus oppositum permittere? Nam dicere quod alias Deus esset causa peccati, ridiculum est, cum in secundo, et in tertio instanti, et deinceps Deus non teneatur dare efficax auxilium ad bonum, quia subjectum indifferenter se habet, nec ex eo quod illud subtrahat, et permittat peccatum, sequitur quod Deus sit auctor peccati, alias in quovis instanti curreret eadem ratio hoc ipso quod Deus permittit peccatum. Si ergo in primo instanti etiam indifferens est voluntas, nec est aliud fundamentum, et ratio ut Deus moveat illam efficaciter ad bonum honestum, quam inclinatio naturalis ad bo-

num potius quam ad malum, non apparet quomodo ex hoc obligetur Deus ad dandum efficax auxilium, et opportunam seu congruam cogitationem ad bonum, ita ut oppositum implicet, cum etiam in tota vita eadem sit inclinatio in natura Angeli ad bonum potius quam ad malum: obligatio enim, et necessitas dandi concursus ad bonum, ne alias Deus sit auctor mali, nulla est, ut diximus, quia si natura de se est in statu indifferenti, estque proxime potens ad formandum dictamen defectuosum si a Deo permittatur, nullo jure Deus obligatur illi assistere cum dictamine recto magis in primo instanti, quam in reliquis totius vitæ, in quibus non alia ratione Deus potest permittere peccatum, et defectuosum dictamen, nec tenetur dare auxilium congruum, nisi quia natura ipsa de se indifferens, et mutabilis est, et de se potens proxime ad deficientium, et formandum dictamen defectuosum si a Deo permittatur. Cur ergo in primo instanti magis tenetur Deus non permittere defectum, aut cur magis sequetur quod sit auctor peccati, si in illo primo instanti illud permittat, quam in reliquis, cum inclinatio naturæ intellectualis ad bonum honestum eadem semper sit, quia ex natura est? Itaque vel Angelus in illo primo instanti est simpliciter potens ad formandum ex se pravum dictamen, et ad deficientium ex parte voluntatis, si a Deo permittatur, licet ex eo quod rationalis natura est, et integra atque perfecta magis in bonum sit inclinata quam in malum: vel non est potens pro illo instanti formare dictamen pravum ita quod antecederet non sit potens, et simpliciter, non consequenter solum, id est, quia de facto non peccabit: hoc enim est petere principium, quare non peccabit, et diver-